



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

30. de peccato origins & transitu eiusdem in posteros.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

qui per aliquam moram in paradiso fuisse intelligitur: quum scriptura dicat eum ibi soporatum fuisse, quando costa de latere eius assumpta est, & inde formata mulier: & animalia ante eum ducta, quibus nomina imposuit.

DE PECCATO ORIGINIS

& transitu eiusdem in posteros.

DISTINCT. Trigesimæ

CAP. Primum.

Peccatum simul ac poena per primum hominem in posteros transit.

Ro. 5. **Q**uod Apost. ostendit inquit: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit: ita & in omnes homines mors pertransit. Hoc autem quidam dicunt intrasse in mundum, non translatione originis, sed similitudine præuaricationis: omnesque in illo uno peccasse dicunt, quia omnibus ille unus peccandi exemplum extitit. Hoc malum senserunt quidam hæretici, Pelagiani dicti, de quibus Augu. in lib. de bapt. paruul. commemorat dicens, Sciendum est, inquit, hæreticos quosdam, qui Pelagiani nominati sunt, dixisse peccatum primum et mæ transgressionis in alios homines non propagatione, sed imitatione, transiisse. Vnde Pelag. de etiam in paruulis nolunt credere per ba-

ptissimum solum originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed eis dicitur, quod si Apost. peccatum imitationis non propagationis intelligi voluisset, eius principem non Adam, sed diabolum diceret. De quo in lib. Sap. dicitur, Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et quia non vult intelligi hoc esse factum propagatione, sed imitatione, continuo subiunxit scriptura, Imitatur autem eum qui sunt ex parte ipsius. Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei. Sed aliud est quod exemplum est voluntate peccatoribus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Non est igitur accipiendum, peccatum Adae transiisse in omnes, imitationis tantum exemplo, sed propagationis & originis vitio. Et est illud peccatum originale (vt aperte testatur Aug.) quod per Adam transiuit in omnes, per eius carnem vitiatam concupiscentialiter generatos. Vnde & recte ait Apost. In quo omnes peccauerunt. In Adam enim omnes peccauerunt, vt in materia, non solum eius exemplo, vt dicunt Pelagiani: omnes enim ille vnus homo fuerat, ac in eo, velut in massa, peccasse dicuntur, ac constituti peccatores per illius inobedientiam, vt dicit Apost. tanquam per peccatum eius actuale, ex quo processit ad nos originale.

CAP. 2. Quid sit Originale peccatum, multiplex fuit Doctorum opinio.

Nota Originis.

Cap. 2

Tom 3

Quidā enim putant Originale peccatū
 esse reatum pœnæ pro peccato primi
 hominis, id est debitum vel obli-
 gationem ad pœnam temporale & æternā,
 pro primi hominis actuali peccato. Et sic ori-
 ginale peccatū, iuxta istorum sententiā, nec
 culpa, nec pœna esse poterit. Culpam nō esse
 ipsi fatentur. Pœnā quoque secundū eos esse
 non potest: quia si debitum pœnæ originale
 peccatū est, quum debitū pœnæ non sit pœ-
 na, nec originale peccatum est pœna.

CAP. Tertium. Originale pecca-
 tum est culpa.

Hoc plurib⁹ sanctorū testimoniis edo-
 cetur. Super Exod. vbi dicitur, Primo-
 genitum asini mutabis oue; Greg. ait:
 Omnes in peccatis nati sumus, & ex carnis
 delectatione concepti, culpam originalem
 nobiscum traximus: vnde & voluntate no-
 stra peccatis implicamur. Idē affirmat Au-
 gustin. lib. de natu. & grat. Peccatum enim
 primi hominis, ait, non solum ipsum, sed om-
 ne necauit genus humanū, quia ex eo dam-
 nationem simul & culpam suscepimus. Vn-
 de lib. de Eccles. dogm. scriptum est: Firmis-
 simē tene, & nullatenus dubites, omnem
 hominem, qui per cōcubitum viri & mulie-
 ris concipitur, cum originali peccato nasci,
 impietati subditum mortique subiectum, &

Eg. 2

3

ob hoc natura iræ nasci filium, à qua nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum.

C A P. 4. Peccatum Originale in nobis non est actuale, sed concupiscibilitas.

f. 124. a
p. 1.

f. 129. b. l. 1.

20

Gal. 7. a.

Concupiscencia
nomen
f. 143. b. l. 10.

Nunc superest videre quid sit ipsum Originale peccatum: quod cum non sit actuale, non est actus siue motus animæ vel corporis. Si enim actus est animæ vel corporis, actuale utique peccatum est: sed actuale utique non est, non est ergo actus vel motus. Quid ergo orig. peccatum dicitur? Fomes peccati, scil. concupiscentia. vel concupiscibilitas, quæ dicitur lex membrorum, siue languor naturæ, siue tyrannus, qui est in membris nostris, siue lex carnis. Unde Aug. lib. de baptis. paruul. Est in nobis concupiscentia, quæ non est permittenda regnare. Sunt & eius desideria, quæ sunt actuales concupiscentiæ, quæ sunt arma diaboli, quæ veniunt ex languore naturæ. Languor autem iste tyrannus est, qui mouet mala desideria. Si ergo vis esse victor tyranni, atque inermem inimicum inuenire, non obedias concupiscentiæ malæ. His verbis satis ostenditur fomitem peccati esse concupiscentiam, Nomen autem concupiscentiæ non actum concupiscendi, sed vitium primum significauit, cum eam di

20.

xit legem carnis. Vitium verò illud utique est, quod paruulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit. Sicut enim in oculo cæci in nocte vitium cæcitatis est, sed nō apparet: nec discernitur inter videntē & cæcū nisi luce veniente: sic in puero vitium esse non apparet, donec tempus ætatis prouectioris occurrat. *Simil.*

CAP. Quintum. Peccatum Originale in Adam fuit, & in nobis est.

Quærit enim Iulianus per quod peccatum inuenitur in paruulo, ita inueniens: Nō peccat iste qui nascitur: nō peccat ille qui genuit: nō peccat ille qui condidit: per quas igitur rimas iter tot præsidia innocentiæ peccatū fingis ingressum? Et respondet ei sacra pagina: Per vnum hominē peccatum intrauit in mundum per vnus inobedientiā, ait Apost. Quid quærit amplius? quid quærit apertius? *Item inquit Iulianus:* Si per hominem vnum peccatum in mundum intrauit, peccatum vel ex voluntate, vel ex natura est. Si ex voluntate est, mala est voluntas quæ facit peccatum. Si ex natura est, mala est natura. Cui respondeo, ex voluntate peccatum est. *Quærit fortè vtrum originale peccatum ex voluntate sit.* Respondeo, prorsus & originale peccatum ex voluntate esse, quia hoc ex voluntate primi homi-

nis seminatum est vt in illo esset, & in omnes transfret.

DE PECCATO ORIGINALI,
quomodo transeat à patribus in posteros.

D I S T I N C T. Trigesimæ primæ
C A P. Primum.

Peccatum originale trahitur à parentibus, non secundum animã, vt quidam ex traduce eam esse ponentes, arbitrati sunt, sed secundum carnẽ foliã.

N Am supra diximus peccatum Originale esse concupiscentiam, non actum, sed vitium. Vnde Aug. Ipsa concupiscentia est lex membrorum vel carnis, quæ est morbidus quidam affectus, vel languor, qui comouet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur. Quæ dicitur manere in carne, non quin in anima sit: sed quia per corruptionem carnis in anima fit. Caro enim propter peccatum corrupta in Adam, in concupiscentia & libidine concipitur in corpus prolis formanda. Vnde caro ipsa quæ concipitur in vitiosa concupiscentia, corrumpitur & polluitur: ex cuius contactu anima eum infunditur, maculam trahit qua polluitur & fit rea. i. vitium concupiscentiæ, quod est peccatum originale.

Ideo ipsum peccatum dicitur manere in carne, non quod caro culpam habeat, vel actum culpæ, sed causam. Vnde Ambro. de

*Concupiscentia
187 b. 201 b.*

*Concupiscentia
quæ dicitur manere
in carne.*

fol. 113. a.

fol. 144. b.

fol. 144. b.

fol. 145. b.